

Disertatio Moralis  
DE  
JUSTITIA DISTRI-  
BUTIVA & COM-  
MUTATIVA,

*Quam,*  
Auxiliante Divina gratia,

*In,*  
Per - illustri ad Albim Academia

P R A E S E S

M. JOH. GOTHOFRE-  
DUS FORBIGERUS,

Aurobaco-Variscus,


R E S P O N D E N T E

CHRISTOPH. CRUSIO,

Martisb. Misnico,

*Placidae eruditorum ventilationi exponit,*  
In AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

*Ad diem 26. Februar. anno 1701.*



WITTENBERGAE,

Typis MARTINI SCHULTZI, Acad. Typogr.

Coll. diss. A  
35, 8

*10*  
*a. XXXV. 8.*

Dissertatio Moralis

JUSTITIA DISTRI-  
BUTIVA & COM-  
MUTATIVA

Auxilium Divinae gratiae

Per illustrem Albinum Academicum



M. JOH. GOTTFRIED

DEUS FORBICERUS

Amstelred. Vindob.

CHRISTOPH. CRUSIUS

1770

1770

1770

1770



Um sub finem superioris anni quaedam sub tutela Patroni ac Praeceptoris nostri, pio animo omnitempore colendi, Excellentissimi Domini Professoris Röhren-See/ de *Justitia Principis* disseruerimus, nostrarum jam partium esse putavimus, si levidensem quandam Dissertationem conscribendo vires nostras pericitemur, ansam ita subministrantes iis, quorum Patrocinio haecenus frui fuit licitum, de studiis nostris, quae, quam sint exigua, non nescimus, benevolum nobiscum communicandi iudicium. At enim vero varietate eorum, quae se nobis obtulerunt suaque svavitate & utilitate commendarunt, tantopere animus noster redditus est dubius, ut primum ferme nesciverimus, quid prius pertractandum susciperemus. Donec tandem svasu & auctoritate Virorum summorum ducti & postea confirmati id consilii elegimus, ut, si pro ingenii modulo quaedam de *Justitia Distributiva & Commutativa* proponeremus, non plane oleum & operam simus perdituri. Equidem negare haud licet, tot tantasque, quae de *Justitia* ingenere sunt conscriptae, Dissertationes esse, ut numerum pariter ac magnitudinem ferme excedant; Utrum vero in iis singulis doctrina, quae circa *justitiae* modo dictas species versatur, ita fuerit evoluta, ut desiderio & voto Lectoris Benevoli ex plurima parte satisfecerit, id aliorum sententiae & iudicio relinquimus. Plerumque enim ita fieri solet, ut, si quis materiam ingentis amplitudinis intra limites paucarum pagellarum enucleare studet, postea propter alias causas ea missa facere teneatur, quae tamen propter gravitatem, quam continent. summam, maximamque, quam bono publico praebent, utilitatem utique digna fuissent, quae prolixius exponerentur. Nos nunc sedulo dabimus operam, ut, si quid afferre queamus, quo utilissimae huic satisque alias intricatae materiae lucem quandam afferre possimus, nihil facile praetermittamus. Faxit interea DEUS O.M., ut istae, quibus intellectus noster involutus est, ignorantiarum tenebrae sapientiae & claritatis suae radiis illuminentur, quo ea a nobis proponantur, quibus gloria Divina amplificetur, veritas propagetur, nostraque demum salus promoveatur!

## §. I.

Qui de origine vocabuli *Justitiae* sunt solliciti, in varias scinduntur partes: Nonnulli enim *justitiam* derivandam esse putant a Jure

a Jure sistendo seu a Juris statu, ideo, quia nimirum ab eadem unice dependeat, ut cuique tribuatur seu sistatur Jus; Alii eandem deducere volunt a voce *Justitiae*, hanc ob causam, quia vim quasi sistat, adhibita tamen certa literarum *μεταθέσει*; Quidam denique ad usum quorundam vocabulorum refugiunt, dicentes, justitiam dependere a Genitivo sui Adjectivi, cum additamento *TIA*, quod suum assertum probare conantur ex permultis aliis vocabulis Latinis, v.g. *Lactitiae*, *amicitiae*, *avaritiae* &c. Nos relictis omnibus his sententiis statuimus, optime rem expediri posse, si prius distinguamus cum *CHRISTIANO Liebenthalen* inter vocabuli *Justitiae* nomen, ejusque rem: Si illud respicias, recte dixeris, *Justitiam* derivari a *Jure*, cum plerumque derivativa pluribus constent literis & syllabis, quam primitiva, id quod, si alia exempla in medium proferre velimus, facile uberius demonstrare possemus; Si vero hanc, non erraveris, si asseras, *Jus* originem suam adscribere *justitiae*: Nam, quod *Jus* in aliquo negotio retineamus, acceptum ferre tenemur *Justitiae*, praecipienti, ut cuique *Jus* tribuatur. Vel, si cum *ADRIANO HEEREBORDIO* loqui velimus, dicendum: *Justitiam* posse considerari vel antecedenter, tanquam juris causam, ut, cum quis per habitum *justitiae* *Jus* alteri facit, ita *Jus* descendet a *Justitia*; vel consequenter, quatenus est effectus *Juris*, in quantum secundum leges agendo quisquam habitum *justitiae* sibi comparat, ita *justitia* a *jure* venit. Caeterum nobis in praesenti sermonem esse de *justitia Particulari*, facile quilibet vel ex inscriptione, *Dissertationi* tributa, videre potest. Et enim, quae in *Theologorum Scholis* exponitur & in *Legalem & Evangelicam* communiter dispesciter, distinctio, qua de consuli potest inter alios *SAMUEL RACHELIUS*, Prof. Helmst. celeberrimus, in peculiari *dissertatione*, nobis in *Philosophorum foro* versantibus, plane est incognita; Neque etiam ea *justitia* considerationi nostrae subjicitur, quam *ARISTOTELES* L.V *Eth. Nic.*, cap. I *νόμιμον* appellat, & alias *universalis* audit: Haec enim a reliquis virtutibus non re aut realiter, sed tantum ratione & formaliter distinguitur; Hinc & complexus omnium virtutum saepius salutatur, quem exponere non istius est, qui, quae proponere vult, in exiguo spatio delineare debet, sed, cui animus est, vel *Aretologiam*, vel in genere etiam *Ethicam* quandam conscribere.

II. Ex dictis itaque nunc liquet, nobis jam pertractandam relinquere *justitiam particularem*, quam dari cum *Philosopho* facile possemus  
tribus

tribus firmissimis argumentis probare, ni videamur frustraneum suscipere laborem: Non enim jam prolixius eandem hoc loco ob certas rationes prosequi volumus, id tantum adhuc monituri, quin imo pro certo praesupposituri, eandem pro Objecto agnoscere res externas tam distribuendas, quam commutandas. Et, id ipsum objectum seu duplices isti actus, circa res externas occupati, fundamentum sunt divisionis, qua dividitur in Distributivam & Commutativam. Si quaeras: Qualisnam haec sit divisio? Non abs re respondebimus, esse Totius universalis in partes subjectivas seu inferiora, & speciatim divisio generis in suas species. Quemadmodum enim distributio & commutatio dissimilis plane sunt naturae & essentiae; quemadmodum alia aequalitas est Geometrica, alia Arithmetica, uti in his porro demonstrabitur; Ita quoque, quin ea iustitia, quae pro objecto habet distribuenda, ab ista, quae objectum agnoscit commutanda, differat, non aliter fieri potest. Conf. WENDELERUS, Phil. Pract. Part. I, Sect. II, cap. X, p. m. 362. & FRIEDEMANNUS Bschmann/ in speciali Disputatione. Inquis: Ipsa iustitia Particularis est species universalis, qua ratione itaque poterit sustinere vices alicujus Generis? Ubi respondeamus cum clarissimo CONRADO HORNEJO, Comp. Dial. L. I, cap. III respiciendum esse ad Genus subalternum, quod diverso respectu nunc genus, nunc species est; & speciem subalternam, quae respectu unius species est, & respectu alterius fit genus. Rem dudum expeditam dedit notissimus JOH. CONRADUS DURRIUS, Prof. Altdorf.; Hinc temperare mihi nequeo, quin ejus verba, hoc dubium admodum illustrantia, hic apponam, quae legi poterunt Part. III. Inst. Eth. Sect. II, cap. XI. Ita vero se illa habent: *Nec mirum videri debet, quod duas diversas specie virtutes uno nomine particularis Justitiae comprehendat Aristoteles Ethicentm una sit aliqua species virtutis, a caeteris objecto & forma differens; non tamen obstat, quo minus in alias NB. duas inferiores species per differentias specificas inferiores & contractiores seu angustiores dispeccatur.*

III. Ne vero ἀπερόδος plane praesentis rei tractationem suscipiamus, eum differendi modum seligimus, quo ipse Excellentissimus noster Köhnen-See usus est in suo Compendio Ethico MSC, cujus etiam definitiones, ante omnia, cum ipsam rei exponendae naturam luculenter ob oculos ponant, adducendas, merito apprehendimus Hinc nobis *Justitia Distributiva est, quae servat mediocritatem circa rerum communium distributionem, quantum cuique de illis debetur, quatenus membrum ali-*

*cujus communitatis est.* De Genere, ut multa nunc proponamus, dis-  
svadet ipsa argumenti natura, quam sua luce radiare quilibet facile  
videt: Cum enim Justitia Distributiva sit, uti jam dictum, particula-  
ris Justitiae species, quae Genus agnoscit virtutem, necesse est, ut &  
ipsa Distributiva Justitia pro remoto Genere virtutem, pro proximo  
autem Justitiam habeat. Quapropter intentiores modo oculos di-  
rigemus ad differentiam adductae modo definitionis, quam absolvi  
consideratione tum Objecti, tum Medii ceu formae, sequentia da-  
bunt. Objectum duplex in Definitione nobis sistitur: Materiale,  
nimirum & formale. Illud sunt res externae, communes alicujus so-  
cietatis, quae vel sunt bonae, (v.g. Tituli, honores, dignitates, officia  
publica, pecuniae item publicae & praemia,) quae ad Objectum Justi-  
tiae Distributivae primario spectant; vel malae, (quales sunt omnia  
publica onera, quorsum referre licet labores, vectigalia, tributa & sum-  
tus in publicum erogandos, non poenas, uti ex infra dicendis consta-  
bit,) quae ad Objectum hujus justitiae secundario pertinent. Conf.  
DURRIUS loc. cit. Hoc, Objectum scil. formale, in eo consistit, *qua-  
tenus quis est membrum alicujus communitatis.* Etenim, si consideremus  
Objectum commutativae justitiae, vix poterimus negare, & illud con-  
stitui per bona & mala externa; Verum in eo potissimum discrimen  
residet, quod Distributiva Justitia circa talia occupetur, non quate-  
nus hujus aut illius privati & membri cujusdam civitatis sunt propria,  
sed potius, si cum alleg. HEEREBOORDIO loqui velimus, quae sunt  
sita intra potestatem Reipublicae seu praefectorum ejus, penes quos  
solos jus est, distribuendi illa ejusdem communionis aut Reipublicae  
membris. Et his ipsis verbis simul etiam responsum fuisse arbitramur  
iis, qui circa hanc materiam talem movent quaestionem: Cuinam jus,  
bona i.e. jucunda & grata, & mala, i. e. injucunda atq; ingrata commu-  
nia distribuendi sit adscribendum? Nam nemo, nisi cui fungus pro-  
cerebro est, facile eo procedet, ut sibi forsitan ipse vel honores & digni-  
tates, ex quibus non ultimum commodum ad se redundaturum esse  
non ignorat, vel vectigalia & tributa ejusmodi, quae sibi minimum  
tantum damnum genitura esse credit, ex suo ingenio distribuat. Quae  
enim clades, quae miseriae & calamitates exinde forent timendae Re-  
bus publicis? Et hinc unice hoc jus adscribamus necesse est Superiori,  
& speciatim Magistratui, qui, ut loquitur modo dictus Auctor, bona  
& mala communia Subditis distribuit pro ratione, conditione, statu,  
digni-

dignitate, operibus, meriti, ac demeritis eorum in Rempubli-  
cam.

IV. Ad alteram nunc differentiae partem accessum facimus, Medi-  
um scilicet, ceu Formam, ubi in antecessum monendum, quod, judi-  
ce ipso summo ARISTOTELE Eth. Lib. V, cap. III, cum justitia par-  
ticularis versetur inter plus & minus seu lucrum & damnum, medium  
quoddam inter haec duo extrema, ab injusto in una eademque acti-  
one simul committenda, sit constituendum. Notum vero est ex Scho-  
lis Ethicorum, duplex esse medium, aliud rationis, aliud rei: Illud a  
recta ratione dependet, omnesque circumstantias accurate confide-  
rat; Verum hoc simpliciter inter excessum & defectum interjacet, qui  
in aliqua re committi potest. Utrumque particularis justitia atten-  
dit, licet aliae virtutes medium rationis tantum respiciant. Conf.  
WENDELERUS tum loc. all., tum in peculiari Dissertatione, &  
Bey-Mann l.c. Quo medio nunc observato, quid aliud quaeso se-  
quitur, quam ipsa aequalitas? Inter plus & minus enim hac nihil ali-  
ud interjectum est, cum ea ab utroque recedat, uti loquuntur DD.  
Quaeritur nunc itaque: Qua ratione aequalitas haec possit reperiri?  
Respondent cum Philosopho Auctores per talem comparationem,  
qua comparantur personae & negotia sive res. Et cum res cum re,  
persona cum persona comparantur, fit, ut justitia particularis confi-  
stat in quatuor terminis, ex quibus consurgit proportio, sive analo-  
gia, qua duo termini, per rationem collati, referuntur ad alios duos  
terminos. Quae verba speciatim & uberius legi poterunt in allega-  
to MSC. Compendio Ethico Excellentissimi nostri Praeceptoris. Haec  
analogia seu proportio, quid alias in genere sit & quotuplex, de eo  
sunt legendi Mathematici: lisdem enim proportio definitur per ra-  
tionum similitudinem; Ratio autem est duarum quantitatum ejus-  
dem generis mutua secundum quantitatem habitudo; Vel brevius:  
Est  $\sigma\chi\epsilon\sigma\iota\varsigma$  seu collatio duorum terminorum inter sese, quemadmo-  
dum inter 6. & 18, 5 & 10 talis ratio reperitur. Praeterea multi in ea  
sunt sententia, triplicem esse statuendam proportionem, Geometri-  
cam scilicet Arithmetica, & Harmonicam denique seu Musicam;  
At n. vero, cum haec ultima species non nisi ex cerebro PLUTARCHI  
citra omnem rationem & absque fundamento originem traxerit, ab  
accuratoribus tanquam figmentum merito rejicitur, quicquid etiam  
ogganniat alias BODINUS. Vid. RACHELIUS loc. cit. Quam rem  
ut

ut eo melius possumus exponere, dicendum prius de reliquis proportionum speciebus. Est itaque, ut cum B. WENDELERO loquamur, proportio Geometrica, cum numeri ita progrediuntur, ut, quoties primus eorum continetur in secundo, toties tertius contineatur in quarto, & quartus in quinto, & sic porro, qualis progressio datur in his: 3, 9, 27, 81: uti enim se habent 3 ad 9, ita se habent 27 ad 81; Proportio vero Arithmetica est, cum plures coordinantur numeri, atq; inter se conferuntur, inter quos eadem est excessus differentia. Ita aequalis differentia intercedit inter hos sequentes numeros: 3, 6, 9, 12, 15. His nunc praelibatis non abs re dicimus, inaequales numeros esse referendos ad Geometricam, aequales vero ad Arithmeticam proportionem. Omnes enim numeri, in quibus proportio est occupata, aut sunt aequales, aut inaequales: Si sunt aequales, adeo, ut nullus alterum differentia excedat, tribuendi erunt Arithmeticae; Si vero inaequales, inter se invicem sunt conferendi & ita adaequandi, qua ratione adscribendi sunt Geometricae proportioni. Inquis forsan: Datur tertium, ubi numeri qua partem aequales, qua partem vero inaequales sunt: Ubi respondemus negando: Quousq; enim numeri sunt inaequales, eousque pertinent ad Geometricam; Quousque vero numeri sunt aequales, ad Arithmeticam proportionem spectant. Procul itaque a nobis absit figmentum illud PLUTARCHI, proportio scilicet Harmonica seu Musica, quae, qua occasione fuerit orta, de eo conferri potest citata RACHELI Disseratio th. XXVI.

V. Praesupposito itaque, omnem justitiam particularem consistere in aequalitate, quae vel a personarum, vel a rerum aestimio dependet, nunc investigandum, qua ratione in distributiva Justitia ea sit invenienda. Haec, cum pro Objecto, uti jam supra expositum, habeat res externas communes, tum bonas, tum malas, distribuendas inter eos, qui ejusdem sunt societatis, optime porro exponitur, si constituatur certa & communis mensura, juxta quam res cum re, persona cum persona comparetur, ac cuilibet, *quantum ipsi debetur, tribuatur. Talis mensura, docente DURRIO, est dignitas & indignitas, ita, ut si persona sit dignior & plus utilitatis ad conservationem societatis contulerit, plus etiam utilitatis in eam vicissim redundet; sin minus de eadem merita sit, minus etiam commodi participet, atque adeo, sicut se habet persona ad personam, ita se habeat res ad rem.* Quae si observentur, necesse sequitur, applicandam h.l. esse analogiam seu proportionem Geometricam, non tamen eo modo, uti a Mathematicis



maticis ex professo tradita quantitatibus proprie tribuitur, sed per quandam similitudinem, quemadmodum Ethicus exponit, & partim rebus, partim personis applicat. Hanc rem B. WENDELERUS in Ethica sua uberius explicat, & duobus potissimum argumentis confirmat. Quemadmodum igitur apud Mathematicos, uti numerus primus respondet secundo, ita tertius quarto; Si numerus secundus triplo major est primo, tunc quartus triplo major debet esse tertio; Sic etiam apud Moralistas aequalitas optime dispensatur, si pro diversis civium meritis praemia & onera distribuuntur. Recte itaque proceditur a Republica ejusque praefectis, quando meritum & commoda, in societatem collata, cum alterius civis merito & commodis conferunt, & secundum ejusmodi collationem justam praemia & onera distribuunt. Pariter Justitia Distributiva optime exercetur, si, quo majora vel minora sunt merita & commoda unius cum meritis & commodis alterius comparata, eo majora quoque vel minora sint praemia & onera unius cum alterius praemiis & oneribus collata. Ita, quando meritum Christophori triplo majus est Pauli merito, etiam Christophori praemium triplo majus sit necesse est Pauli praemio. Ulterius: Si Johannes majora commoda tribuat bono publico, quam Lucas, dubio procul majora bona sunt tribuenda isti, quam huic; Id quod etiam fieri potest, onera, quae alias membra societatis ferre tenentur, diminuendo. Quae tamen omnia cum grano salis sunt accipienda, cum pro diversitate circumstantiarum ei, qui minus sentit utilitatis ex aliqua societate, minus etiam onus imponi debeat, utpote qui tenuioris est conditionis, quam isti, qui plus utilitatis & commodi ex communitate haurit. Unde etiam, si vel maxime certo tempore ei, qui propter commoda, Reipublicae alias impensa, maximam inde percepit utilitatem, quoque, utpote fortunae bonis pollenti, majora onera imponantur prae illo, qui cum Iro facere cogitur, haud abs re fieri putamus.

VI. Quae de irrogatione poenarum hic injici poterant, consulto relinquimus, cum forsan aptior infra sese sit oblatura occasio, de eadem uberius, si per spatium licitum fuerit, differendi. Restat nunc altera particularis Justitiae species, quam Latini *Commutativam*, ARISTOTELES autem *διορθωτικήν* seu *Correctivam* & *Emendativam* vocare consuevit. Et haec nobis est, quae servat mediocritatem circa rerum permutationem, quantumcuique de illis debetur, quatenus privatus est. De duplici appellandi ratione, antequam ad ipsius definitionis realis uberio rem explanationem

B

nem

nem deveniamus, quaedam adhuc sumus proposituri: Nimirum, quemadmodum multa appellationem suam reportarunt ab Objecto, quod pertractare tenentur; Ita & haec praesens Justitia eadem cum illis usa est fortuna. Namque cum, uti ex subsequentibus constabit, pro Objecto habeat contractus seu commutationes, Philosopho συναλλαγμάτων nomine venientes, quae vel sunt voluntariae, vel involuntariae, adeo, ut opus sit in talibus contractibus quadam correctione seu emendatione, in illis quidem tum, quando una pars plus boni acceperit, altera vero minus; in his vero statim post contractum initum. Hinc necesse est, ut pro diversitate horum Objectorum diversa etiam enascatur nominis impositio. Sed haec obiter: Descendamus nunc potius ad ipsam definitionem allatam, de cujus Genere nihil est, quod addamus, cum idem sit, quod fuit Justitiae Distributivae, quo de consulatur, §. II; ea tantum ante omnia adducturi, quae videbuntur ipsam Justitiae Commutativae naturam ingredi. Pariter itaque sedulo attendamus tum ad ejus Objectum, tum postea Formam. Objectum alius duplex est, aliud nimirum internum, aliud externum: Illud constituunt passiones ipsae & Affectus, ad quos compescendos, mitigandos & delendos actio virtutis multum confert; Hoc vero sunt bona & mala, quae passionem nobis pariunt, & circa quae ipsa occupati sunt affectus. Hanc in rem legi potest prolixius GISBERTUS ab ISENDOORN, Eth. Perip. L. II, cap. II, quaest. XII. De interno Objecto hujus Justitiae commutativae, quod, quemadmodum in caeteris virtutibus, ita & hic affectus & cupiditates animi sunt, non admodum solliciti, accuratius modo pensabimus externum, quod itidem duplex esse potest, materiale scilicet & formale. Materiale sunt res externae, bonae non minus, quam malae, in contractum venientes, ubi notandum, nos per bonas intelligere eas, quarum praesentia maximum usum affert generi humano; proinde facile colligi potest, justiciam commutativam versari primario circa res bonas, ex accidenti enim fit, ut, cum quis alterum in contractu seu commutatione defraudaverit, hac ratione circa malum commissum constituat, quid sit faciendum, quamobrem etiam Emendativa seu correctiva vocatur; Ecquis enim vellet dicere, virtutem, & speciatim Justitiam malum velle? Verum Objectum formale nunc quasi haec bona & mala externa determinat, innuitque, qualia hoc loco sint intelligenda; Num forsan ea, quae alicujus communitatis sunt, conferenda ejusdem membrum? Minime, talia enim,

enim,

enim, quae ad iustitiam distributivam sunt reponenda, ex supra dictis jam satis abunde liquent: Quae ergo? Talia bona & mala, quatenus in contractum veniunt. Quam differentiam in primis Jcti alias quaerunt inter commutationes seu permutationes, contractus item & commercia, qua de videri potest citatus clarissimus HORNEJUS, Phil. Mor. Lib. III, cap XIII, § II, eam jam non attendimus, cuncta potius unico contractus nomine exprimentes, & hac in parte sequentes ARISTOTELEM, qui haec omnia etiam unico vocabulo *συναλλαγμάτων* est complexus. Hinc etiam minime facimus cum Justiniani assentibus, docentibus, contractum proprie esse mutuum consensuum duorum vel plurium de re aliqua, legitime transferenda, vel quoad usum, vel quoad dominium, vel quoad obligationem: Haec enim explicatio propria quidem est, sed paulo strictior, quam quae possit applicari ad commutativae Iustitiae Objectum. Unde prolixior contractuum significatio erit adducenda, & forsitan non abs re ea, qua docetur, illos non tantum involvere veros contractus & quasi contractus, sed etiam omnes obligationes, tum eas, quae ex delictis, tum, quae ex quasi-delictis nasci dicuntur, & si quid iisdem est simile. Et hanc interpretationem passim nobis proponunt DD. morales, in primis vero haecenus laudati.

VII. Antea vero, quam ad alteram Definitionis partem accedamus, monendum videtur, certas contractuum divisiones adhuc esse residuas, quae, ni cognoscantur, tantas Lectori injicere poterunt remoras, ut vix sibi possit eos, quibus haecenus usus est, polliceri progressus. Nam contractus alii sunt voluntarii seu spontanei, alii involuntarii seu inviti: Ubi incidenter notandum, recte ita dividi contractus, in sensu Philosophico & supra exposito acceptos; Ea enim ratione partes divisionis cum toto consentiunt, neque unum membrum naturae divisi repugnat, conf. ISENDOORN loc. cit: cap. XVII, Lib. II, quae est. IV. Prioris generis contractus intercedunt inter scientes & volentes, quosque vocamus, qui fiunt inter utramque contrahentium partem volentem, intercedente pacto expresso, sive, fide aperte data atque recepta, quorsum referas mutuacionem, depositionem, sponfionem, conductionem, usuram, venditionem & emtionem &c; Posteriores autem contractus respiciunt illos, qui contingunt una parte vel ignorante, vel nolente, quae ratio est, cur quaedam oriatur subdivisio, ubi contractus involuntarii seu inviti alii sunt clandestini, alii inviti: Isti sunt, cum altera parte ignorante, adeoque non an-

nuente bonum aliquod accipitur, ad cuius compensationem aliquis obligatur, quales Aristoteles recenset sequentes: Furtum, adulterium, veneficum, lenocinium, servorum seductionem, caedem dolo iam & falsam denique testificationem &c; Hi vero sunt, cum sciente quidem altera parte, minus vero annuente, sed potius repugnante, bonum ipsi eripitur aut malum infertur: Huc Philosophus refert flagellationem, vincula, mortem, rapinam, corporis debilitationem, convitium, ludibrium. Quae singula exempla, contractus adductos respicientia, e quidem in alias etiam classes dispesci potuissent, ni jam dudum hac in re nobis parasse ferias saepe laudatum HORNEIUM sciremus, qui consuli poterit, quam etiam ob rationem hortulos modo nostros ejusdem fontibus nolumus irrigare, sed potius, quod per antea dicta facillimum erit, cognoscere, cur contractus inviti dici possint *συναλλάγματα* seu contractus? Nos respondemus, dubio procul eam ob rationem, quia, qui talem contractum iniit, tenetur ei, cui damnum intulit, aut tantum, quantum abstulit, restituere, aut plane postea poenas dare; & ideo facile concludi potest, occurrere hic quodammodo & acceptionem & dationem, in quibus commercandi contrahendique ratio consistit. Caeterum & hic non abs re exponitur: A quonam in primis Justitia Commutativa sit exercenda? Nos asserere vix dubitamus, eandem tantum spectare ad privatos, quatenus nimirum unus cum altero agit. Nec est, quod quis excipiat, saepius Magistratum erga subditos hanc justitiam exercere, dum nimirum illum cum his contractus haud raro inire videamus: Nam h. t. Magistratus consideratur, non ut Magistratus, sed potius ut privatus, nullaque hic habetur meritorum aut demeritorum ratio, uti loquitur HEEREBOORD loc. cit. in notis adjectis.

IIX. Forma, quae alteram allatae definitionis partem constituit, etiam, quemadmodum in Justitia Distributiva, aequalitate absolvitur; Hinc, quo nostra praesens species ab altera, jam supra exposita, seceratur, demonstratur necesse est medium quoddam, cuius interventu pervenire queamus ad hujus differentiae cognitionem; Et id ipsum praestat analogia seu proportio Arithmetica, quae non respicit personas earumque qualitates, sed simpliciter inter rem & rem unius ad aliam constituit: Nam, quemadmodum Mathematici, a quibus hanc doctrinam mutuo quasi accepimus, plures numeros, inter quos eadem est excessus differentia, coordinant & inter se comparant; Ita etiam  
mora-

moralis Philosophiae interpretes simpliciter rerum, quae, ut saepius  
 dictum, Aristoteli *συναλλαγματα* vocantur, aequalem distantiam inter  
 id, quod plus & minus, seu, quod lucrum & damnum est, observant,  
 personis interim, ut aequalibus, consideratis. Sic, quando perpendimus  
 emtionem & venditionem, & emtor justitiam laeserit, plus boni sibi  
 tribuendo, minus vero boni alteri, venditori scilicet, quo hic damnum,  
 ille vero lucrum reportavit, tunc necesse est, ut inter id, quod plus &  
 minus est, aequalis constituatur distantia, ita, ut isti, qui plus boni ac-  
 cepit prae altero, tantum detrahatur, quantum illi, qui minus boni re-  
 portavit, deficit. Verum eum vero, dum Arithmetica proportionem  
 huic Justitiae speciei adscribimus, id ita quaeso intellectum velimus,  
 ut ne plane ab eadem excludatur proportio, quam Geometricam  
 alias appellare debuimus: Cum enim in Distributiva Ju-  
 stitia quandoque per Accidens proportio Arithmetica habeat  
 locum, licet primario & per se in eadem sit attendenda Geometrica;  
 Quid quaeso obstat, quo minus diserte pronunciemus, in commuta-  
 tiva Justitia non penitus esse eliminandam proportionem Geometri-  
 cam, quamvis alias hic Arithmetica primas teneat partes? Hujus asserti-  
 damus rationem & causam: Etenim omnium eruditorum calculo seu  
 consensu est demonstratum, quamlibet alias virtutem consistere in  
 medio rationis, quod, si non negligitur, accurate expendit omnes cir-  
 cumstantias, in moralibus occurrentes; Etsi nunc itaque Justitia mediū  
 rei accuratius ponderare teneatur, id quod prae reliquis virtutibus, u-  
 ti jam monitum §. IV, ipsi peculiare est, quo omnimodam aequalita-  
 tem servandam esse praecipit, medium rationis tamen non penitus  
 respuit, cum non plane nullam habere debeat circumstantiarum curā;  
 Nam ponamus, res istas, quae in contractum seu permutationē veniūt,  
 ita esse inaequales, ut tam quantitate, quā qualitate a se invicem dis-  
 crepent; Qua ratione itaque inter has constitues justam aequalita-  
 tem? Sane non nisi mediante proportione Geometrica; Praecedit ita-  
 que aequalitas, sequitur postea talio. Huc spectant verba JOACHI-  
 MI CAMERARII, quibus usus est in Comment. ad Arist. Eth. L. V, cap.  
 V: *Haec mediū, sic enim loquitur, illa quidem exaequatio Arithmetica est,*  
*quemadmodum supra ostendit Auctor; sed adhibetur ad considerationem ratio-*  
*nis, qua illa, de quibus agitur, ad consentaneum modum redigi & vero ordine*  
*disponi oportet. Vide ibi plura. Prolixiora non proponere licet de Men-*  
*sura, qua iterum pretia aestimantur, & inter se comparantur, dum ni-*

mirum plerumque distinguitur in naturalem, quae a natura dependet, & indigentia vocatur; & vicariam, quae per institutum & gentium consensum est introducta, & aliis nummus audit; Commendamus interea Auctores, & in primis DURRIUM, saepe laudatum, qui desiderio nostro admodum satisfecit.

IX. *Justitiae Distributivae opponitur Injustitia Distributiva, quae est vitium morale, quod peccat in excessu & defectu circa rerum externarum distributionem; Cum Commutativa vero Justitia pugnat Injustitia Commutativa, quae pariter est vitium morale, peccans in excessu & defectu circa rerum externarum commutationem.* Quae uberius quidem profsequi possemus, ni pleraque patescerent dicenda ex virtutibus, iisdem contradistinctis, & a nobis explicando deductis: Opposita enim juxta se posita magis elucescunt. Ut taceamus, restare jam unum item & alterum, utique dignum, quod in hac doctrina propositum paulo accuratius evolvatur. Scilicet offert se nobilis non minus, quam gravissima quaestio, ita comparata, ut non abs re ad cruces Philosophorum referatur. Quaerunt scilicet & acriter inter se disputant Juri non solum, sed etiam Philosophi de eo: Ad quamnam Justitiae speciem poenae earumque irrogatio sit referenda? Auctores in tres potissimum scinduntur partes. Nam pro Distributiva pugnant Philosophi Combricenses & nonnulli Jurisconsultorum; Commutativam amplectuntur plerumque; Quidam denique controversiae gravitatem paulo accuratius expedientes vix audent aliquid determinare: quare medium quoddam eligentes adscribunt poenarum inflictionem Justitiae, quae Universalis appellatur. Absona plane & vix a sano homine defendenda est prima ista sententia, quicquid etiam in contrarium afferant Justitiae Distributivae & per consequens proportionis Geometricae assertores. His ipsis enim se opponit doctrina, quam supra de distributiva justitia cum B. L. pro ea, quam perspicere potuimus, veritate communicavimus. Hujus enim objectum sunt bona & mala externa, alicui societati communia, & sic distribuenda inter membra ejusdem communitatis, ut ne vis quaedam inferatur proportioni Geometricae; Ecquis vero eo stoliditatis procedere vellet, ut poenas mala externa alicui societati communia esse asserat? Ea enim ratione cunctis societatis membris, licet nullum delictum seu facinus commiserint, poenae essent infligendae, quo ipso tamen non tam justitiae satisfaceret, quam potius contradiceretur, id quod de Magistratu, justitiam colente & exercente, dicere inconveniens non minus, quam impium esset. Quid dicam de eo, quod bona & mala

mala

mala externa communia praeelegant, antequam quis constituatur membrum  
cujusdam communitatis? Poenae vero omnibus, in quocunque demum sta-  
tu & conditione fuerint jam constituti, hominibus, sive membra alicujus soci-  
etatis fuerint, sive minus, si delictum commiserint, ita imponuntur, ut iste,  
cui sunt tribuendae, consideretur, non ut societatis membrum, sed potius,  
ut qui deliquerit. Proferunt equidem contradicentes multa, quibus senten-  
tiam suam adstruere conantur, quae tamen omnia non sunt tanti, ut nos ad  
subscribendum permovere possint. Nam, quando *primo* objiciunt: Poenas  
non nisi a Magistratu imponi posse, quod officium referendum esse videatur  
ad justitiam Distributivam, respondemus: Licet vel maxime Antecedens con-  
cedamus, a nobis tamen negatur Consequens, cum poenae non queant re-  
ferri ad bona vel mala communia alicujus societatis, quod tamen ad obje-  
ctum hujus justitiae requiritur. Accedit, quod praeterea etiam distingvamus  
inter contractum inire, eundem, si non justus fuerit, emendare & tandem  
justa poena afficere. Primum tantum spectat ad privatos, medium in tan-  
tum ad Magistratum, in quantum contractus initus, isque injustus, a priva-  
tis ipsis non potest emendari. Vid. DURRIUS loc. cit. §. XLIIIX; Ultimum  
tantum ad Magistratum, qui vitia Republicae evellere conatur. *Alterum*,  
quod objectionis loco proponunt, est, quod nulla poena recte possit consti-  
tui, nisi antea omnes circumstantiae, adeoque etiam personarum, probe fue-  
rint consideratae; quo ipso tamen introduci, inquit, proportionem Geome-  
tricam, alias referendam ad justitiam Distributivam; Verum & hic non difficilis  
est responsio: Nam pro nobis pugnant, quae in priori hujus argumenti  
membro proferuntur. Quis enim tam insipiens esset, ut velit in irrogatione  
poenarum omnes plane circumstantias excludere, quae saepius multum con-  
ferunt ad actionem aliquam vel bonam vel malam reddendam? Hinc pruden-  
tissime etiam monet WENDELERUS, peccata seu delicta non semper esse  
unius generis; quaedam enim ex proaeresi fieri, quaedam ex imbecillitate;  
Aliud esse, quando omnibus constet peccatum, ex proaeresi factum, aliud,  
quando haec praesumatur tantum. Hunc in finem etiam Excellentissimo  
nostro in hoc doctrinae genere Praeceptorum, cujus saepius honorifice facta fuit  
mentio, in peculiari Dissertatione de Jure Puniendi maximum discrimen inter-  
dit inter exaequationem ipsam seu aequalitatem per actum justitiae constitutionem  
& praeviam aestimationem rerum, quae actum justitiae antecedit & personarum  
respectum NB. non excludit: seu, ut alii rem proponunt, & poenarum irrogatio-  
ni accommodant, distinguendo inter poenarum inflictionem & delictorum  
aestimationem: Ibi locum habet proportio seu analogia arithmetica, hic ve-  
ro Geometrica.

X.Eo-

X. Eorum sententia, qui poenarum irrogationem ad Justitiam Universalem referunt, cum quibus facit tum RACHELIUS in specialibus Dissertationibus de Poena & Justitia, tum etiam DURRILIUS cum aliis, equidem non penitus est improbanda; Verum, cum hi vespertilionum instar lucem fugiant, adeoque poenarum inflictionem neque ad commutativam, neque distributivam Justitiam referre conentur, eo ipso rem in ambiguo relinquunt, a quibus merito nos separamus, veritatem interim & rationem consulentes Praeceptorum optimorumque Auctorum vestigiis insistimus, dicendo: *Poenas earumque irrogationem esse subordinandam Commutativae Justitiae.* Rationes, quibus in hanc sententiam fuimus perducti, facile quis potest ex praecedenti §. colligere, quapropter eadem hic iterum adducendo actum agere volumus, sed potius hic subsistere & gratias humillimas deferre DEO T.O.M. pro concessis hoc in labore viribus, insimul submisisse rogitantes, velit hoc ipsum Divinum Numen omnia, quae a nobis dicta sunt, ita dirigere, ut cuncta, quae forsam aut sperari aut optari possunt, bona exinde ad nos redundent! Tu vero B. L. sic habes, quae pro imbecillitate ingenii nostri proponere potuimus: Et quanquam non negemus, multo meliora & elegantiora huic doctrinae adjungi potuisse & debuisse, certa tamen nobis de Te spes subnasitur, fore, ut pro singulari & prolixiori in nos affectu prolata in meliorem sis interpretaturus partem. Quod si vero Divina clementia in posterum meliora concesserit subsidia, certus esse poteris, nos haec levia & minus accurata rebus majoris momenti & elegantioribus esse compensaturos; Interea hoc & omni tempore tribuentes

SOLI DEO GLORIAM!



Coll. diss. A. 35, misc. B